

ultra sortem exigere ratione periculi ejusdem sortis: resp. 1, evincit, nihil licere exigere a pauperibus ratione periculi sortis, orti ex eorum inopia: deinde responsione, « Multi docent, inquit, licere aliquid ultra sortem pacisci, et exigere ratione periculi mutuo extrinseci... Idem dicunt de extraordinariis facultatibus, laboribus, impensis, molestiis probabiliter in recuperanda sorte subeundis ex culpa mutuatarii, eo quod hæc sint mutuo extrinseci, et pretio æstimabilia. Sed ut hoc titulo aliquid possit juste exigi, has requirunt condiciones: 1° Ut periculum sit vere probabile, et extrinsecum mutuo, ne hoc prætextu pallientur usuræ: quale non est, quoties mutuatarius est industrius, verax, justus, etc., de quo non datur prudens præsumptio, quod non sit soluturus. 2° Ut in hoc auctarium consentiat mutuatarius. 3° Ut mutuans non compellat illum ad secum paciscendum de periculo, sed ei relinquat libertatem assecurandi sortem per pignus, hypothecam, vel alium fidejussorem; alioqui sine causa imponeretur illi onus pretio æstimabile, ad quod non obligatur, quod est usurarium. 4° Ut non plus exigatur, quam iudicio communi prudentum valeat tale periculum subeundum, habita ratione quantitatis summæ mutuatae, et magnitudinis periculi, servataque proportione inter periculum et auctarium. »

(133. Postremo, in resp. ad quæst. 13, statuit ex communi sententia per se licitam esse in mutuo pactionem, ut mutuatarius, si ad terminum præstitum non restituerit, aliquid solvat in penam suæ moræ positæ certis conditionibus. Condiciones porro sunt istæ: « 1° Ut id non fiat in fraudem usurariam, sed ex sola voluntate sortem suam tempore statuto recuperandi. Unde si non cures, utrum solvatur tali tempore, an non; vel si optes non solvi, vel si eum terminum, intra quem scis mutuum reddi non posse, constituas, tunc pœna apposita est velamen usuræ, et revera lucrum ex mutuo principaliter intendis. 2° Ut debitor vere sit in culpa, non solvendo notabili tempore post transactum terminum: nam sine culpa nulla potest juste imponi, nec exigi pœna, ex l. 22, cod. De pen., et cap. 2 De constit., ibi: « Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. » Hinc pœna non debetur, si debitor sine sua culpa tempore præfinito non solverit propter moralem impotentiam, hoc est difficultatem tantam, ut creditor censeatur rationabiliter invitatus circa solutionis dilationem. 3° Ut pœna sit moderata secundum mensuram culpæ et rei mutuatae: alioqui esset injusta, et inique cogere alter in eam consentire, ideoque non potest peti quoad excessum. Hinc pactum, ut pignus sit creditoris, si certo tempore debitor non solverit, est prohibitum, l. 1 et 3, cod. De pact. pignor., et c. 7, De pignor. Quod si pars debiti solvatur, non potest tota pœna exigi, sed tantum pro ratione partis non solutæ, cap. 19, De penis. Idem dic, si mora non sit notabilis; nam si per

biduum, vel hebdomadam ultra terminum præfinitum solutio differatur ordinarie, non debet æstimari culpa digna pœna constituta saltem tota.

(134. Cæterum Ballerinius in prælect. de usura præmissa secundæ parti Summæ theologicæ S. Antonini, edit. Veron., cap. 5, § 26, hæc propositionem statuit: « Periculum sortis, seu capitalis in mutuo æstimabile non est, ideoque justus lucri titulus non potest. » Cui hæc § 27, subjicit: « Difficilis exactio sortis, ac expensarum, vel damni alicujus ob eandem subeundi periculum æstimabilia quidem sunt, quatenus justam expensarum, et damni æstimationem restorationis nomine præstituant; quatenus autem eo titulo certum aliquod lucrum supra dictam æstimationem creditori provenit, titulus est palliatus, qui ab usura vindicari non potest. » In cujus quidem propositionis seu explicatione, seu confirmatione, § 2 et 3, exponit responsionem ad 1, ex quæstis de usura S. congregationi de Propaganda Fide propositis, quæ in Veneta editione anni 1777, articulo huic primam addita fuerunt, ut Appendix ex edit. Romana, in qua tamen eam reperire non potui. Sic autem habet: « Nonnulli... hæc auctoritate potissimum moti, probabile et extraordinarium periculi capitalis periculum in quæsito, uti putant, expressum iis verbis, quæ debitoris fugam indicant, tanquam justum lucrandi titulum a Congregatione approbatum inculcant. At ex tribus periculis capitalibus, quæ in quæstione proposita recensentur, duo postrema ad difficultem exactiois expensas, et moræ damna manifestissime pertinent, nimirum quod debitor tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram iudice repetere. Solum de primo, quod in debitoris fugam rejicitur, ambigi potest. Verum non amissionem debiti necessario significat, quod si per fugam pereat, nunquam sane fiet, ut aliquid recipiatur ratione periculi: sed ad expensas referri potest, quatenus fugientem querere, ut ad restitutionem compellatur, expensas sæpe maximas devorat. Aliunde debitoris fuga, inter ea particula est, quæ in contrahendo particulari mutuo uti possibile ad summum concipiuntur, non autem uti probabilia, quæ pretio æstimari non posse ostendimus § 27, num. 3. Enimvero fugam (l. 1, tract. 9, num. 4) S. Zeno nominatim appellat inter cætera, quæ debitorem extorquet, ut ne hæc de re lucrum a creditore perceptum ab usura vindicandum existimaret: in Scriptura pariter cum malitia debitorum creditum deceptorum reprehenditur Ecclesiastici xxix, nec lucro tamen usuræ damnando, pariter; fuga, quæ præcipuum decoquentium medium semper fuit, lucri justus titulus non agnoscitur. Id tandem periculum omni ævo commune nunquam æstimarunt SS. Patres, ut num. 1, § 27, observavimus. Itaque ne quid sacra Congregatio probasse dicatur contra tantam auctoritatem, ea aut non probavit periculum ex fuga, sed alia duo tan-

tum, ac cætera indicio tacta iis verbis, vel propter alia hujusmodi; aut illud ita probavit, ut non ad capitalis periculi periculum, sed ad expensas, et damna in recuperando capitali subeunda retulerit. In responsione quidem ipsius congregationis nullius periculi in quæstione memorati distincta fit mentio, sed in genere pretium approbatur ejus periculi, quod æstimabile sit; et sicut nihil deciditur circa quantitatem pretii proportionati, ita nec circa quantitatem periculis, quænam æstimabilia sint, vel non. Id iudicii, et æstimationis theologis relinquunt didicandum, ita ut nihil certi, pro hoc vel illo periculi capite, num, et quantum æstimabile sit, definitum dici queat. Igitur hoc congregationis decretum, cum nihil pugnat adversus dicta § 26, tum ad expensarum, ac damni periculum æstimandum pertinet, de quo hæc in propositione statuimus. » Vide quæ subdit n. 3 et 4.

(135. Hæc illa sunt, quæ auctoris de usura articulo subjienda duximus, ut lectores a laxis opinionibus, quas ex casuistis plerisque Lucius proposuit, sibi caverent. Qui plura cupit, legat præter Antoine, et Cuniliati locis citatis, Colet in Continuatione Prælectionum theologiarum Honorati Tournely, tract. De contractibus, part. II, cap. 2 et 3, et Concina, in Theolog. Christ. theologico-morali, in tract. De justit. et jure, lib. III, diss. 3. Si quis autem controversiam hanc totam penitus scrutari voluerit, consulere poterit opera ab eodem Concina, et Petro Balleriniõ adversus veteres, novosque usurarum patronos vulgata, quorum titulos damus. Petri Balleriniõ prælectio De usura, quæ num. 2, est ex Prælectionibus ejusdem, part. II Summæ theologicæ S. Antonini præmissis. Eiusdem, De jure divino et naturali circa usuram libri sex, in quibus

adversus hæreticos usurarum patronos tum recentes, tum antiquiores catholicum præsertim dogma fusc defenditur. — Præmittitur Præfatio cum historia de origine, auctoribus, et varietate hæresis impugnandæ, unde contra illam magnum vel ex novitate præjudicium exsurget, Bononiæ 1747. Eiusd. Vindicatæ juris divini ac naturalis circa usuram, quæ veluti liber septimus haberi possunt adversus Opus novissime editum de usuris licitis et illicitis, Nicolai Brædersen. — His vindiciis, capite ultimo, inseritur peculiaris dissertatio de concilio Viennensi sub Clemente V ejusque decretis, Bononiæ 1747. Eiusd. Appendix trium Opusculorum in materia usurarum: 1° De montibus pietatis; 2° De pecunia in negotiationem tradenda, ac de licito, vel illicito ex eadem lucro; 3° De inani contractuum implicitorum systemate, quo omnes fere contractus, reipsa feneratorios, ab usura purgare nonnulli theologi contendunt. Eiusd. La dottrina della Chiesa cattolica circa l'usura dichiarata, e dimostrata contro le pretese della novella opera intitolata: Dell'impiego del denaro libri tre, Verona 1744. — Si danno per appendice alcuni ecclesiastici documenti molto importanti, seconda ediz., Bologna 1747.

Opera autem a Concina de hoc argumento edita hæc sunt: In epistolam encyclicam Benedicti XIV adversus usuram Commentarius, quo illustrata doctrina catholica, Nic. Brædersen, ac aliorum errores refelluntur, Romæ 1746; 2° Usura contractus trini dissertationibus historico-theologicis demonstrata adversus mollioris ethices casuistas, et Nic. Brædersen. — Accedunt appendices duæ ad Commentarium auctoris adversus usuram, Romæ 1746; 3° Esposizione del dogma, che la Chiesa romana propone a credersi intorno l'usura colla confutazione del libro intitolato: Dell'impiego del denaro, Napoli 1746.

## USUSFRUCTUS, USUS.

Hæc porro expendenda ad rem veniunt.

(1. Ususfructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia. Communis, textu expresso in l. Ususfructus 1, ff. De usufruct., et instit. eod. tit. (2. Usus autem est jus utendi tantum rebus alienis, salva earum substantia: Communis, per text. in l. Cui usus 2, ff. De usu et habitatione, et instit. eod. tit., § 1 et seq.

(3. Unde minus juris est in usu, quam in usufructu: cui enim usus alicujus rei legatus est, uti quidem potest, frui vero eadem non potest, textu expresso in cit. l. Cui usus 2, ff. De usu et habitatione, ibi: « Cui usus relictus est, uti potest, frui non potest, » et instit. eod. tit., § 1, ibi: « Minus autem juris est in usu, quam in usufructu, nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quam oleis, pomis, floribus, feno, stramentis, et lignis ad usum quotidianum utatur. In eoque fundo hactenus ei morari licet, ut neque domino fundi molestus sit, neque

iis per quos opera rustica fiunt, impedimento, nec ulli alii jus quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest; eum is, qui usufructum habet, possit hæc omnia facere.

(4. Ubi, ut vides, in hoc potissimum differt usufructus ab usufructuario, quod usufructus habet tantum jus utendi re aliena, et percipiendi solos fructus necessarios ad suum, suæque familiæ, et hospitium victum, seu usum quotidianum, non tamen potest omnes fructus percipere, eosque suo arbitratu vendere, seu alienare. Usufructuarius autem habet jus utendi re aliena, et percipiendi omnes ejus fructus, eosque suo pleno arbitrio vendere, donare, et quocunque modo alienare. Hinc ille, cui usus duntaxat horti relictus est, potest quidem in ipso deambulare, poma, olera, et alia, quæ ibi nascuntur ad suum, suæque familiæ, et hospitium victum, seu usum quotidianum accipere, et eos pro suo arbitrio vendere.

donare, seu alienare, sicuti potest is, cui ususfructus horti relictus est. Similiter ille, cui relictus est solus usus vaccarum et ovium, potest quidem illis uti ad arandum, stercorandum, et hujusmodi; non tamen potest percipere illarum fetus, vel lanam, neque lac, nisi in modica quantitate, et quatenus ad victum quotidianum indiget, nec ullimode potest alienare, ut totaliter potest ille, cui relictus est ususfructus, ut clare patet ex adductis juribus, et tot. tit., ff. inst. *De usu et habitatione*, ubi varia alia exempla ad id afferuntur, et concordat tot. tit., ff. et instit. *De usufructu*. Vide d. verb. **DOMINIUM**, art. 1, n. 12.

(5. Ususfructus proprie nequit constitui in rebus unico usu consumptibilibus. Vide d. verb. **DOMINIUM**, art. 1, num. 13. (6. Quasi ususfructus tamen etiam in his constitui potest. Vide *ibid.*, num. 14, et hic *infra*, 56.

(7. Usus generatim loquendo est duplex, scilicet usus facti, et usus juris. Vide *ibid.*, num. 15 et 16, ubi ostenditur quid sit uterque.

(8. Datur alius quoque usus quasi juris permissivi, vel potius usus facti simplex ac licitus omnino dependens a voluntate domini proprietarii. Vide *ibid.*, n. 17.

(9. Hinc usus simplex facti potest separari, et de facto extinguatur a dominio rei etiam unico usu consumptibilis. Vide *ibid.*, num. 18.

(10. Afferitur, et solvitur notabilis instantia. Vide *ibid.*, n. 19 et 20.

(11. Ususfructus bonorum adventitiorum filii pertinet ad patrem, l. *Res quæ 1*, cod. *De bonis maternis*, l. *Cum oportet*, 6, et l. *Cum non solum 8*, cod. *De bonis quæ liberis*, et § 1, instit. *Per quas personas*.

(12. Vivente tamen avo paterno bona adventitia nepotum quoad ususfructum non pertinent ad patrem, sed ad ipsum avum paternum, ut clare evincitur ex cit. l. *Cum oportet*, in princ., cod. *De bonis quæ liberis*. Et ratio est, quia fundamentum, et radix acquisitionis talis ususfructus est patria potestas: in hoc autem casu patria potestas, saltem in actu, non residet apud patrem, cum et ipse sit sub potestate patris sui, qui est avus respectu nepotum ex filio; adeoque ususfructus bonorum adventitiorum nepotum pertinet ad ipsum avum, non ad patrem.

(13. Ususfructus hæreditatis relictæ filio, sive a matre, sive ab alio sub hac lege, ut in ea nihil juris acquirat pater, non spectat ad ipsum patrem, sed pleno jure ad filium: sic expresse evincitur ex aut. *Excipitur*, cod. *De bonis quæ liberis*. Et ratio est, quia unusquisque potest rebus suis imponere quamlibet legem sibi bene visam, dummodo juribus non obsistat. Talis autem hic imposita lex non obsistit juribus concedentibus patri ususfructum in bonis adventitiis filiorum, quia talia jura non sunt prohibitiva, adeo ut explodant pacta, et leges, quæ a voluntate testatorum apponi possunt, sed est soluta dispositiva, ut ususfructus, quando

aliud a testatore non fuit appositum, acquiratur patri.

(14. Pater non acquirit ususfructum in hæreditate adita a filio contra voluntatem ipsius patris, sic clare habetur ex l. *Cum non solum 8*, in princ., § 1, vers. *Sive e contrario*, ff. *De bonis quæ liberis*. Et ratio est, quia omnino dissonum rationi videtur, quod pater commodum, et usufructum earum rerum acquirat, quarum acquisitioni ipse resistit, arg. c. *Ex eo 38*, De regul. juris in 6, ibi: « Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisi exstitit impugnare, » l. *Papinianus 8*, § 14, ff. *De inofficioso testam.*, cum similibus.

(15. Ususfructus in bonis adventitiis filii per professionem patris transit in monasterium (si sit capax successionis), quousque pater vixerit. Sic communiter doctores tum juristæ, tum theologi per textum in authentica *Ingressi*, cod. *De sacrosanct. ecclesiis*, ubi habetur, quod ingrediens, et profitens religionem, se, suaque jura, et bona dedicat Deo: cum ergo pater quoad vixerit, habeat jus ad ususfructum in bonis adventitiis filii, ex allatis juribus *supra*, num. 11, si ipsum ante professionem non renuntiaverit, transfert secum ad religionem, seu monasterium, si sit capax successionis. Si autem religio, seu monasterium sit incapax successionis, tunc ususfructus extinguatur, et cum proprietate filii, seu domini consolidatur. Vide *infra*, n. 63 et 64.

(16. Per professionem filii in religione pater non amittit ususfructum in bonis adventitiis ejusdem filii, sed eum retinet, quousque ipse pater vixerit. Sic doctores fere communiter contra paucos. Et ratio est, quia per mortem naturalem filii, cujus erant bona adventitia, non extinguatur in patre jus ususfructus, per text. in l. *Si patri tuo 3*, cod. *De usufructu*, § 1, ibi: « Usufructuario autem superstitite, licet dominus proprietatis rebus humanis eximatur, jus utendi, fruendi non tollitur; » adeoque neque dictum jus ususfructus in patre extinguatur per mortem civilem filii religionem profitentis.

(17. Ob delictum enorme filii, per quod solvitur patria potestas, pater non amittit ususfructum in bonis adventitiis ejusdem. Sic Molina, tom. 1, *De justitia*, tract. 1; disp. 9, vers. *Ab hac regula*, et disp. 229, vers. *Tertius modus*; Castrop., p. 1, tract. 4, disp. 3, punct. 10, nu. 18; Sanchez, in *Summa*, lib. II, cap. 16, n. 29, et alii plures. Et ratio est, quia in confiscatione bonorum adventitiorum filii non venit ususfructus jam ante perfecte acquisitus a patre, cum ob iniquitatem filii non debeat pater jure suo, quod perfecte quæsitum, privari. Peccata enim suæ debent tenere auctores, l. *Sancimus 22*, cod. *De pænis*, capit. *Quæsitum 2*, *De his quæ sunt a majori parte capituli*. Nec debet aliquis alterius odio prægravari, capit. *Non debet 22*, De regul. juris in 6, l. *Non debet 74*, ff. *De regul. juris*. Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, c. *Cognoscetes 2*, De constitutionibus.

(18. Pater ob transitum ad secundas nu-

ptias de jure communi non privatur usufructu bonorum adventitiorum filiorum prioris matrimonii. Vide verb. **PATER**, n. 6 et 7.

(19. Pater potest ususfructum bonorum adventitiorum filii eidem remittere: *Comm. per text. in l. Cum oportet 6*, § 2, vers. *Sin autem res*, cod. *De bonis quæ liberis*. (20. Et talis remissio nequit revocari, nec in vita, nec in morte remittentis, arg. cit. l. *Cum oportet*. Sic doctores magis communiter contra alios volentes talem remissionem revocari vivente patre donante, seu remittente, et solum confirmari morte ipsius patris donantis, seu remittentis, per text. in l. *Donationes 25*, cod. *De donationibus inter virum et uxorem*. Et ratio nostræ conclusionis est, quia illa remissio non est vere et proprie donatio, cum non sit de re, quæ sit sub plena potestate et dominio ejusdem patris, citata autem l. *Donationes* procedit solum de veris et propriis donationibus inter patrem et filium, inter maritum et uxorem, quæ speciali jure interdiciuntur ob rationes ibi allatas, qualis, ut diximus, non est illa remissio ususfructus, cum ipsa proprie dicenda sit consolidatio ejusdem cum proprietate competente ipsi filio.

(21. Ususfructus bonorum dotialium pertinet totaliter ad maritum, quando matrimonium consistit, textu expresso in l. *Dotis fructum 7*, ff. *De jure dotium*, ibi: « Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit; cum enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est etiam fructus percipere. »

(22. Ad quem autem spectet, et transeat ususfructus dotis, cum solvitur, vel separatur matrimonium, Vide verb. **DOS**, art. 1 et artic. 3, et discurre pariformiter, sicut ibi.

(23. Ususfructus rei potest esse materia dotis, seu tradi in dotem. Sic expresse habetur ex l. *Dotis fructum 7*, § 2, l. *Si usufructus 66*, ff. *De jure dotium*, l. *Usufructu 57*, ff. *Solutio matrimonii*, l. *Si socrus 18*, et l. *Pro oneribus 20*, cod. *De jure dotium*. Et ratio clara est, quia ususfructus ipse potissimum potest deservire ad sustinenda onera matrimonii.

(24. Si uxor fuerit proprietaria, et dederit in dotem solum ususfructum, retenta sibi proprietate, soluto matrimonio, ille ususfructus immediate, et ipso jure redit ad uxorem tanquam dominam proprietatis. Colligitur clare ex citat. l. *Si usufructus 66*, ff. *De jure dotium*, ubi dicitur, quod ususfructus concessus in dotem ab alio domino proprietatis, post divortium non revertatur ad uxorem, utpote non dominam proprietatis, sed ad ipsum dominum proprietatis: ergo cum in nostro casu ipsa uxor fuerit domina proprietatis, usufructus, dissoluto matrimonio, illico revertitur ad ipsam, et consolidatur cum proprietate.

(25. Si vero illum ususfructum concesserit in dotem aliquis extraneus, sibi retenta proprietate non redit ipse, soluto matrimonio, ad uxorem, sed ad dictum proprietarium, textu expresso in lege citat. *Si usufructus 66*, ff. *De jure dotium*. ibi: « Quo-

niam diximus ususfructum a fructuario cedi non posse, nisi domino proprietatis, et si extraneo cedatur, id est ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum transire, sed ad dominum proprietatis reservatum ususfructum. »

(26. Quomodo autem in tali hypothesi sit consulendum eidem uxori, ne, post solutum matrimonium indotata remaneat, habetur in cit. l. *Usufructus 66*, ff. *De jure dotium*, et in l. *Usufructu 57*, ff. *Solutio matrimonii*. Vide *ibi*.

(27. Usufructuarius fructus omnes ex re fructifera percipere potest, etiam pensiones, ac redditus ex ædificiis, ex areis, et hujusmodi, textu expresso in leg. *Usufructu legato 7*, ff. *De usufructu*, ibi: « Usufructu legato, omnis fructus rei ad fructuarium pertinet; » et *ibidem* § 1, subjungitur: « Quicumque redditus est, ad usufructuarium pertinet, quæcunque obventiones sunt ex ædificiis, ex areis, et cæteris, quæcunque ædium sunt: » et concordat lex *Item 9*, ff. *eodem*, ibi: « Item si fundi usufructus sit legatus, quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest, ipsius fructus est. » Et idem habetur in l. *Arbores 59*, § 1, ff. *eodem*.

(28. Item si apes in eo fundo sint, ad usufructuarium pertinet earum fructus, textu expresso in citat. l. *Item*, § 1, ibi: « Et si apes in eo fundo sint, earum quoque ususfructus ad eum pertinet. »

(29. Item si in eo fundo sint lapidicinæ, cretifodinæ, arenifodinæ, et hujusmodi, potest usufructuarius eruere lapides, arenas, metalla, etc., ita tamen ut agriculturæ nihil obsit, textu expresso in citat. l. *Item*, § 2, ibi: « Sed et si lapidicinas habeat, et lapidem cedere velit, vel cretifodinas habeat, vel arenas, omnibus his usum Sabinus ait quasi bonum patremfamilias; quam sententiam puto veram. » Et *ibidem*, § 3, subditur: « Sed si hæc metalla post ususfructum legalum sint inventa, cum totius agri relinquatur usufructus, non partium, continerentur legato: » et idem expressius habetur in l. *Si cuius rei 13*, § 5, ff. *eod.*, ibi: « Inde quæsitum est, an lapidicinas, vel cretifodinas, vel arenifodinas ipse instituere possit. Ego vero puto etiam ipsum instituere posse, si non agri partem necessariam huic rei occupaturus est. Proinde venas quoque lapidicinarum, et hujusmodi metallosum, inquirere poterit... et cæterorum fodinas, vel quas paterfamilias instituit, exercere poterit, vel ipse instituere, si nihil agriculturæ nocebit. »

(30. Item ad usufructuarium spectat quoad ususfructum incrementum alluvionis, si sit latens. Si vero sit patens, ad dominum proprietarium, textu expresso in cit. l. *Item*, § 4, ibi: « Huic vicinus tractatus est, qui solet in eo, quod accessit, tractari, et placuit, alluvionis quoque ususfructum ad fructuarium pertinere. Sed si insula juxta fundum in flumine nata sit, ejus ususfructum ad fructuarium non pertinere Pegasus scribit; licet proprietati accedat esse enim

veluti proprium fundum, cujus ususfructus ad te non pertineat. Quæ sententia non est sine ratione, nam ubi latitat incrementum, et ususfructus augetur; ubi autem apparet separatam, fructuario non accedit. » Vide verb. DOMINIUM, art. 3, num. 46, ad 50.

(31. Item ad usufructuarium spectant venationes et piscationes, textu expresso in cit. l. Item, § 5, ibi: « Aucupionum quoque, et venationum redditus Cassius ait, l. VIII *Juris civilis*, ad fructuarium pertinere; ergo et piscationum. »

(32. Usufructuarius potest fructus, vel utilitates rei fructiferæ alteri donare, locare, vendere, concedere etiam invito domino, seu proprietario rei; dummodo tamen ususfructus, seu ipsum jus percipiendi fructus semper maneat penes ipsum usufructuarium, cujus nomine alter fructus percipere potest. Sic habetur ex leg. *Arboribus* 12, § 2, ff. *De usufructu*, et de communi testantur Sporer tom. 1, tract. 8, in *Complement. VII præcept. Decalog.*, cap. 1, sect. 1, numer. 22; Layman. lib. III, tract. 1, cap. 6, numer. 4, et alii.

(33. Notanter autem dicitur: *Dummodo tamen ususfructus, seu jus percipiendi fructus semper maneat penes ipsum usufructuarium*, etc., quia non potest ipsum usufructum formalem transferre in alium extraneum a proprietario, ita ut ipse extraneus sit formaliter proprio nomine usufructuarius, per textum in § *Finitur autem* 3, instit. *De usufructu*, ibi: « Nam cedendo extraneo nihil agitur: » et in leg. *Si ususfructus* 66, De jure dotium, ibi: « Quoniam diximus usufructum a fructuario cedi non posse, nisi domino proprietario, et si extraneo cedatur, id est, ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum transire, sed ad dominum proprietatis reversurum usufructum. »

(34. Usufructuarius tenetur rem proprietatis diligenter conservare, et ea tantum ratione uti, qua bonus, ac diligens aliquis paterfamilias propriis suis domesticis rebus uteretur: leg. *Sed cum fructuarius* 66, ff. *De usufructu*, ibi: « Debet enim omne quod diligens paterfamilias in domo sua facit, et ipse facere. » Nullimode enim potest ipsam rem proprietatis deteriorare, textu expresso in leg. *Si cujus rei* 13, § 4, ff. *De usufructu*, ibi: « Fructuarius causam proprietatis deteriorare facere non debet, meliorem facere potest; » et patet ex ipsamet definitione usufructus tradita supra num. 1, per præcisam hæc verba: « Ususfructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia, » l. *Ususfructus*, et instit. eod. tit.

(35. Unde non licet usufructuario arbores frugiferas succidere, neque villam in fundo diruere, nec quidquam facere in perniciem proprietatis, textu expresso, in leg. *Si cujus rei* 13, § 4, ff. *De usufructu*, ibi: « Non debet neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quidquam facere in perniciem proprietatis. »

(36. Item non licet immutare id, quod alicujus prædii decorandi causa, vel meræ

voluptatis gratia positum est, sicque nequit cujusdam aditus arbores succidere sub prætextu pinguioris redditus promovendi, ibidem sementem frumenti faciendo, vel vineam instituendo, textu expresso in cit. leg. *Si cujus rei*, § 4, ibi: « Et si forte voluptarium fuit prædium, viridaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosas operas, atque amœnas habens, non debet deicere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad redditum spectet. »

(37. Potest tamen usufructuarius immutare alicujus fundi qualitatem, si ipsa decorandi prædii, vel voluptatis gratia non fuerit posita, et ex tali immutatione, v. g. de silva in vineam, in agrum, in pratium, et hujusmodi melioretur evidenter proprietatis, textu expresso in cit. leg. *Si cujus rei*, § 5, ibi: « Et si forte in hoc, quod instituit, plus redditus sit, quam in vineis, vel arbutis, vel olivetis, quæ fuerunt, forsitan hæc deicere poterit, siquidem ei permittitur meliorare proprietatem. »

(38. Quamvis usufructuarius non possit arbores fructiferas succidere, potest tamen eas, ac alias mortuas sibi applicare; dummodo totidem alias in earum locum substituat, textu expresso in leg. *Agri*, 18, ff. *De usufructu*, ibi: « Agri fructu legato in locum demortuarum arborum, aliæ substituendæ sunt, et priores ad fructuarium pertinent. »

(39. Si autem magna quantitas arborum ex silva vi ventorum, seu violento tempestatis impetu deiciatur, tunc ipsæ arbores utpote notabiliter partem fundi efficientes, debentur proprietario suis sumptibus exportandæ sine ullo incommodo usufructuarii. Colligitur ex lege *Proculus* 19, § 1, ff. *De usufructu*, ibi: « Si arbores vento dejectas dominus non tollat, per quod incommodior (is) sit usufructus, vel iter, suis actionibus usufructuario cum eo experiendum; » et concordat etiam l. *Arboribus evulsis* 12, ff. eod., ubi usufructuario conceditur solum facultas adhibendi ex dictis evulsis arboribus, quod ad refectionem ædificii usufructui obnoxii, et merum suum usum (si non habet unde utatur ligno) sunt necessariae, ibi: « Arboribus evulsis, vel vi ventorum dejectis usque ad usum suum, et villæ posse usufructuarium ferre. Labeo ait: « Nec materia eum pro ligno usurum, si habeat, unde utatur ligno. » Quam sententiam puto veram, alioquin, et si totus ager sit hunc casum passus, omnes arbores auferret fructuarius; materiam tamen ipsum succidere, quantum ad villæ refectionem, putat posse. Quemadmodum calcem, inquit, coquere, vel arenam fodere, aliudve quid ædificio necessarium sumere. »

(40. Usufructuarius ædium, quamvis possit fenestras ad lumen necessarias aperire, colores, et picturas, et marmora immittere, et quidquid ad domum ornatum conducit, facere, non tamen potest dictas transformare, vel conjungere, aut separare, nec aditus, porticusve vertere, vel refugia aperire, vel atrium mutare, vel viridaria ad alium mo-

dum convertere; excolere enim, quod invenit, potest, qualitate ædium non immutata. Item nequit ædificium altius tollere, nec domum per cœnacula, et diversoria dividere, etc., textu expresso in cit. l. *Si cujus rei* 13, § 7 et 8, ff. *De usufructu*.

(41. Usufructuarius, cui legatus est usufructus specialiter alicujus domus, si ipsa incendio casuali, vel alias consumpta fuerit, nequit sibi vindicare ligna, et cœmenta, quæ de eadem derelicta sunt, nec disponere potest de ipso solo, in quo domus erat constructa, textu expresso in l. *Quotiens* 34, § 2, ff. *De usufructu*, ibi: « Si ædes incensæ fuerint, usufructus specialiter ædium legatus peti non potest; » et concordat § *Finitur autem* 3, instit. *De usufructu*, ibi: « Eo amplius constat, si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræmotu, vel vitio suo corruerint, extinguatur usufructus, et ne aræ quidem usufructum debent, » et l. *Repeti potest* 3, § 2, ff. *Quibus modis usufructus amittitur*, ibi: « Certissimum est, exustis ædibus, nec aræ, nec cæmentorum usufructum debent. » Et ratio clara est, quia cum talis usufructus sit specialiter constitutus in dicta domo, eo ipso, quod domus perit, ipse prorsus dissolvitur, neque ullum effectum consequitur, nec quantum ad ligna, ac cœmenta, nec quantum ad ipsum solum domus. Est enim, ut expresse habetur in l. *Est enim* 2, ff. *De usufructu*, ibi: « Est enim usufructus jus in corpore, quo sublato, et ipsum tolli necesse esse. »

(42. Si autem ei legatus esset usufructus universalitatis bonorum, tunc usufructuarius posset jus suum vindicare tum in ipso solo, in quo constructa erat domus consumpta, tum etiam in ipsis lignis, ac cæmentis superstitibus tanquam in rebus, quæ venissent in partem prædictæ universalitatis bonorum, textu expresso in cit. l. *Quotiens* 34, § 2, ff. *De usufructu*, ibi: « Si universorum bonorum, ac singularium rerum usufructus legatur, hactenus interesse puto, quod si ædes incensæ fuerint, usufructus specialiter ædium legatus peti non potest, bonorum autem usufructu legato, aræ usufructus peti poterit, quoniam qui bonorum suorum usufructum legat, non solum eorum, quæ in specie sunt, sed et substantiæ omnis usufructum legare videtur, in substantia autem bonorum etiam aræ est. »

(43. Idem quoque dicendum est de usufructuario, cui legatus est usufructus fundi ruralis, in quo constructa sit villa, seu domus, et ex aliquo casu destruat; tunc enim usufructuarius jus suum conservabit in ipsa area, quæ relinquatur, cum sit quædam quasi accessio, atque in partem veniat universi prædicti boni, textu expresso in l. *Fundi*, ff. *Quibus modis usufructus amittitur*, ibi: « Fundi usufructu legato, si villa diruta sit, usufructus non extinguetur (quia villa fundi accessio est) non magis quam si arbores deciderint. » Et concordat l. *Sed et eo* 9, ff. eod., ibi: « Sed et eo

quoque solo, in quo fuit villa, uti, frui poterit. »

(44. Usufructuarius tenetur suis sumptibus ædificia reficere quoad usque sarta tecta habeat: at vero si qua vetustate corruerint, non teneretur ille suis impensis reficere. Imo si quid ultra quam impendi debeat, impenderit, poterit illud juridice a proprietario repetere, l. *Usufructu* 7, § 2, ff. *De usufructu*, ibi: « Quoniam igitur omnis fructus rei ad eum pertinet, reficere quoque eum ædes per arbitrum cogi Gelsus scribit lib. XVIII *Digestorum*. Hactenus tamen ut sarta tecta habeant. Si qua tamen vetustate corruissent, neutrum cogi reficere. » Et l. *Eum ad quem* 7, eod. *De usufructu et habitatione*, ibi: « Eum ad quem usufructus pertinet, sarta tecta suis sumptibus præstare debere, explorati juris est. Proinde si quid ultra quam impendi debeat, erogatum potes docere, solemniter reposes. »

(45. Usufructuarius, cui legatus est usufructus gregis, v. g. mille vervecum ad certum tempus, tenetur dicto tempore elapso eundem vervecum numerum proprietario consignare, et in locum capitum defunctorum alia capita supplere, textu expresso in l. *Vetus fuit* 68, ff. *De usufructu*, ibi: « Plane si gregis, vel armenti sit usufructus legatus, debet ex adgnatis gregem supplere, id est in locum capitum defunctorum. » Et concordat l. *Quid ergo* 7, § 2, ff. eod., ibi: « Si decesserit fetus, periculum erit fructuarii, non proprietarii, et necesse habebit alios fetus submittere. Unde Caius Cassius lib. VIII, scribit, carnem fetus demortui ad fructuarium pertinere. »

(46. Si vero usufructus totus esset constitutus in quibusdam solis singularibus animalibus, quæ non possent alia producere, ut muli, seu in uno duntaxat equo, tunc usufructuarius teneretur solum ad reddendum, quod elapso tali tempore superstes adesset, nec obligaretur ad id, quod citra illius culpam interiisset, supplendum, cit. l. *Quid ergo*, § 3, ibi: « Sed quod dicitur debere eum submittere, toties verum est, quoties gregis, vel armenti, vel equitis, id est universalitatis usufructus legatus est. Cæterum singulorum capitum nihil supplebit. »

(47. Usufructuarius incipit usum capere a momento, quo testator mortuus est. Unde si testator reliquerit pendentes fructus jam maturos, eos percipit usufructuarius, textu expresso in l. *Si pendentes* 27, ff. *De usufructu*, ibi: « Si pendentes fructus jam maturos reliquisset testator, fructuarius eos ferret, si die legati cedente adhuc pendentes deprehendisset, nam et stantes fructus ad fructuarium pertinent. »

(48. Ad usufructuarii hæredes spectant ligna reperta jam succisa in sylva cædua, sicuti et frumenta jam demessa, ac alia hujusmodi jam succisa, et adhuc in fundo usufructus existentia. Ad proprietarium autem spectant solum ea quæ adhuc remanent succidenda, vel demetenda die decessus ipsius usufructuarii, textu expresso in